Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1579
Quelle:
Copyright:

Viennensi a *Leonhardo* Ep. *Patavienſi* 20. ejusd. menſ. 1451.

DCLXXII.

R. 1998 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 137. f. rubricis diſtinctus et olim *Fratrum Cartuſienſium prope pragam* continet *Bonum univerſale de Apibus;* ita enim *Thomas de Cantimprato*, vulgo *Cantipratanus* O. P. binos Libros ſuos *de Praelatis* et *de Subditis* dici voluit teſte Praefatione ad *Humbertum* generalem Miniſtrum Ordinis. Extat Opus piis narratiunculis ſcatens ſaepius impreſſum, et a me jam relatum *Vol.* I. P. 2. *col.* 1340. ubi tamen *Librum* II. deeſſe dixi. Hic vero integrum eſt, ſed contra Autoris mentem *Liber* II. diviſus in duos ita, ut *fol.* 53. incipiat *Tertius* a *Cap.* videlicet: *Videas de clauſtris alias eſſe ſolicitas* &c. quod in Codice eſt LIIII. in Editione vero *Pariſina ſ. a. f.* curata a *Bonaſpe Puteano* XXVII. cujus diverſitatis ratio eſt, quod in Codice *Liber* II. non ordiatur a novo Capitum numero, ſed numeri *Libri* I. ulterius continuentur. Ad calcem nobis: *Explicit liber bonus de Apibus*, et Index alphabeticus Rerum.

Praetenta eſt Codici Membrana partem Catalogi vetuſtae cujusdam Bibliothecae monaſticae exhibens, e qua fortaſſe tolli vellet *Summa palladij rutili tauri emiliani in opus agriculture*, et *Summa que dicitur flores dictaminum magiſtri petri de vineis.*

DCLXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 256. f. maj. per duas columnas luculente beneque perſcriptus, coloribus illuſtratus et olim Collegii S. J. *Viennae* complectitur *Bartholomaei de Glanvilla*, dicti *Anglici* O. M. qui vivendo hujus Codicis aetatem adtingere potuit, *Libros XIX. de Proprietatibus Rerum* ſaepius prelo proditos, ſaepius a me relatos, ita tamen, ut *Liber* I. et II. exciderint, et a III. ita ducatur initium: *Adiuuante ihesu chriſto in precedentibus aliquas proprietates de ſubſtantia penitus incorporea* &c. A *Libro* IV. incipiunt pullulare Summaria in marginibus, eaque a prima manu, Verſus item ad materiam, quae in Textu tractatur, adpoſiti, quorum aliquos delibabo. Ad L. IV. c. 4. R. 912

Galienus. *Omnibus aſſuetam iubeo ſervare dietam.*
Ypocras. *Approbo ſic eſſe, niſi ſit mutare neceſſe.*

Ad c. 8. quatuor Temperamenta:

Sanguineum. *Cantans carnoſus ſatis audax atque benignus*
Largus amans hilaris ridens rubeique coloris.

Chole-